



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||**

**Francisco <de Javier>**

**Mogvntiæ, 1600**

**VD16 J 197**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43721**

*ritis inter vos.* Christus Dominus suam mentibus nostris voluntatem declaret, viresq; ad eam perfecte exequendam pro sua bonitate suppeditet. III. Non. Nouemb. M.D.XLIX. Cangoximæ.

*Societati Goam. Epist. VI.*

**S**I tanta vos tenet mei memoria, quanta me vestri, vtrique desiderium corporum leuius feremus, cū semper fere animis presentes adsumus. Lusitana Indiæ præsidia, quæ fociis nostris carent, sic vobis commendo, vt maiore studio commendare non possim, idque pro maximis Regis Lusitaniæ in nos omnes, qui in India versamur, beneficiis, atque promeritis. Si Socij Goam concionatores Olyssipone peruenerint, per hos illis cōsuletis, sin minus alios submittetis Socios, quorum virtus animique submissio Lusitanos iuuet, confessionibus audiendis, sermonibus habendis, pueris seruisq; ad Christianam pietatem erudiendis, cæteris per pias meditationes ad honestatem excitandis, reliquisque nostræ Societatis muneribus ob-eundis. Et sane boni apud improbos vitæ exemplo assidue concionantur, atq; adeo plus quam concionatores è suggestu sæpe proficiunt. Quippe cum longe plus momenti ad permouendum in factis sit, quàm in dictis. Si Goano in Collegio Socij sunt ad Christianam

*Boni vita  
exemplo  
semper concionantur.*

nam doctrinam in omnibus vrbis templis teneræ ætati tradendam idonei, solitis horis mittendos censeo, vt Catechismum quidem doceant quotidie, Dominicis autem ac festis diebus appositam etiam ad ea, quæ explicantur, è Catechismo, cohortationem habeant: & simul sancti alicuius viri præclara facta commemorent. Collegij porro istius Rector idem faciat in maximo vrbis templo. Si alij præterea cõcionatores domi sunt, qui pueros Christianæ disciplinæ rudimenta docere queant, pergratum mihi fecerint, si eos docuerint, ac suæ virtutis odore, atque exemplo reliquos excitauerint ad studium pietatis. Verũ sermone omnes vtantur apud Lusitanos vulgari, ac vernaculo, quali indigenæ Christiani, ac m̃cipia vti solent, quod ego quoque, cum istic essem sequebar; quoniam is sermo facilius in aures, atq; animos influit auditorum. Quid in hoc genere fiat, facite identidem, vt sciam. Magnopere hortor, vt vobis ipsi (quod caput est) primum attendatis. *Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit? qui alios curare potest, qui se ipse negligit? qui tandem attentus, ac diligens erit in alienis rebus, qui est dissolutus in suis? Iam Collegij alumni, vt maximam partem Sinæ, aut Iapones sint, curate; eos bonis moribus, ac litteris imbuite; in Lusitano sermone vtique exercete, vt hic, vbi magno vsui esse*

*Sermone  
vulgari a-  
pud vulgare  
vtendum.*

*Prima sui  
omique cu-  
ra esse de-  
bet.*

O pos

*Neophyti  
benigne  
tractandi.*

possunt, interpretum munere fungantur. Equidem vnde maiores animorum fructus percipi queant, quam ex Iaponia, ac Sinis, orbis terræ partem esse arbitror nullam. Venient istuc in Collegium hoc anno Bonzij Iapones duo, qui omisso illo sacrilego sacerdotio, ad Christi fidem sese cōtulerunt. Curate, vt eos comiter benigneque tractetis, item vt ego, cum apud vos essem, Paulum Iaponem à S. Fide tractabam. Etenim Iaponū ingenia eiusmodi sunt, vt nulla re flectantur, ac regantur alia, nisi humanitate, ac beneuolentia. Tres illos quos poposci, Socios ad me mittetis. Epistolam autem de interioribus animi sensibus, quam in eundem fasciculum conieci, circum alias Sociorum sedes, quæ in India sunt, mitti ac recitari placet. Christus Dominus noster pro sua bonitate, ac misericordia nos omnes in sua felicitate coniungat. Amen. Datæ III. Non. Nouemb. M. D. XLIX. Cangoximæ.

*Societati Goam. Epist. VII.*

SVPERIORE anno, fratres carissimi, de nostro itinere, aduentuque in Iaponiam, rebusque è re Christiana gestis ad vos scripsi Cangoxima; nunc quid ex eo tempore Deus per nos gefferit, exponam. Ad Pauli nostri patriam cum peruenissemus, ab eius cognatis, ac necessariis accepti sumus perhumaniter,